

lacarnes tradiderat, hanc Thetis foundationem, cum oculis attente lustranti visa mihi potius chartæ compendium, quam integrum apographum. Huic suspicioni maximum pondus adjecit ipse Malacarnes, qui asseruit se reperisse in tabulario Comitum Salutiensium de Verzolio membranam satis amplam, in qua tota hæc fundatio describatur, quam cum præ angustia temporis haud sibi exscribere liceret, ideo illam in hoc compendium contraxisse. Hoc habito indicio egi apud viros & dignitate, & scientia præstantes, ut membranam illam exquirere, ac integram exscribere curarent: voti expers, ne hujus compendii, vel chartæ memoria periret, illud typis edere curavi; tum quia unicum est, quod sæculorum edacitatem superaverit de Tetone documentum, tum quia ejus ab Anselmo generationem narrat, quæ non nisi conjecturis antea nitebatur, finemque ponit omnium exagitatissimæ quæstioni de posteriorum Bonifacii MM. cum Aledramo nexu. At ne hujus documentum verba pro autographi textu acciperentur, diverso caractere imprimenda censui. Accidit autem, ut beneficio Claris. Comitissæ de Paesana insignis hujus familiae tabularium visendi mihi concessa fuerit facultas, & præsertim elegantissimi codicis a Carolo Salutio Comite de Paesana conscripti continentis historiam MM. Salutiensium. In ejus prioribus foliis hoc documentum occurrit, quod plane iisdem prorsus verbis constat, quibus hoc, quod Malacarnes illi societati communicaverat, exceptis nonnullis variantibus pauci momenti, quæ hic addam. col. 24. lin. 59. quid l. quidquid. col. 27. in fine lin. 4. ad-30 de &c. sic adde &c. post item lin. 8. & post frui, l. 15. & post festucam, & ibi post decima l. 23. & post viventium l. 26. l. 25. Ennerici lege Eimerici. Versans autem hoc Caroli a Salutio volumen deprehendi multa hunc alia documenta in medium afferre ita decurtata per &c., quorum ego nonnulla insigniora in II. parte producam. Quæ omnia apparet illum exscripsisse ex ipsis membranis, refecatis tamen pro arbitrio, quæ ipse minoris momenti esse putabat. Quare si adhuc licuisset non cursivo caractere, sed uti alia 40 documenta rotundo, ac Romano imprimi fecissem, utpote formulas ex ipsis membranis desumptas continens. Ne autem quispiam putet me incertis, ac vagis hisce exemplaribus nimiam fidem adhibere, nec fortasse uspiam hoc documentum extare, juvabit quoque testimonium antiqui, ac probatissimi scriptoris Jofredi ab Ecclesia afferre, qui de illo in sua MM. Salutiensium Genealogia mentionem fecit hisce verbis: Vi sono, che dicono, e fanno fede per vecchissime scritture questo Tete aver fondato uno notabile Monasterio di santo 50 Pietro in quel predetto luogo del Vasto, il qual monastero per essere più, e più volte andato in Comenda è cascato in rovina; ci sono però li redditi ampli, e grandi. Il detto Monasterio del Vasto si ritrova essere in quelle montagne Ligure, che dipartono la pianura del Piemonte dalla riviera di Genova fino a Savona. Gioff. della Chiesa Cronica di Saluzzo MS.

MXXX. col. 25. n. 15. Hoc quantivis pretii documentum acceptum refero a præclarissimo viro P. M. 60 Cattaneo OO. FF. PP. in Regio Athenæo Taurini Theologiæ Professore, qui hujus utut imperfecti diplomatis (neque enim totum, atque integrum exscribere

passi sunt Sacerdotes Oblati, quibus ad preces S. Caroli Borromei a S. Pontifice perpetuo commendatum hoc Monasterium fuit) exemplar Mediolani impetravit.

MXXXIX. col. 26. n. 16. Extat hujus diplomatis unica membrana, apographum scilicet, quod ex archetypo in castro Episcopali Bestagni exscribi jussit Guido II. Aq. Episc. anno Domini MCCCXLVII. coram D. Dominico Mascaro de Bestagno J. C., & Gullielmo de Oddono de Incisa Castellano Bestagni, usus Notario Francisco Novello, probantibus Jacobo Fontana, Dominico Culardo de Bestagno, Georgio Baldezone de Bestagno Notariis publicis. Illam, quam paucos ante dies habere mihi contigit, cum hoc edito diligenter contuli, atque hæc emendanda reperi.

Col. 27. lin. 5. Kadehohi legitur Kadelohi. lin. 7. postulantes l. postulans lin. 10. quæsitæ l. concessa. lin. 7. Episcopo l. Epischopio. lin. 20. sic l. scilicet lin. 24. Gamelarium l. Gamelaria. lin. 31. pulsionem l. pulsonem. lin. 38. Melagio l. Melazo. lin. 39. tum in l. turrim col. 28. lin. 9. Kadolonus l. Kadelonus.

Post nomen invictissimi hoc monogramma apparebat diplomati insertum.



MXLI. col. 28. n. 17. Præterito autumno Aquas profectus, ibique a Jo. M. Perrono nuper maximo civium omnium, & amicorum dolore fatis erepto domi suæ humanissime exceptus ab Excellentissimo Præsule facultatem impetravi hoc quod edideram cum membrana in suo tabulario existente conferre. Diligentius itaque exegi, atque hæc variantes in textum inferendas excerpsti. lin. 36. illi homines l. ii omnes. lin. 41. exemplum l. exempla. lin. 44. sed l. &. lin. 47. des demus & quotidie dele particulam &. lin. 59. indigne l. indigni.

Col. 29. lin. 15. Faustiola l. Fauxiolo. lin. 33. provideat l. possideat. col. 30. lin. 11. indictione secunda; Enrico l. indictione . . . secundo Enrico regnante. Nam in memorata membrana Guidonis II. vox secundo integra legitur, non per numericas Romanorum notas; & genere masculino non fæmineo, ut jungatur more apud Italos usitato, Enrico, qui secundus hujus nominis in Italia regnavit. Omissus autem fuit in illo apographo annus indictionis, quia forte eo tempore jam evanuerat in primigenio exemplari, quod ubi delitescat, ignoratur. Conjici tamen potest scriptum ante diem 4. mensis junii: nam post illam diem incipiebat jam numerari annus III. ejus regni in Italia. Ipse enim die IV. anni MXXXIX. Conrado Imperatori successit in regno; at annus indictionis secundæ, qui in meo exemplari, & in altero Turrii legitur, est prorsus repudiandus. Currebat enim indictio IX. minime II. Cæterum ne quidquam huic operi desit, & illud addam, me nuper in MSS. Franc. Turrii viri emunctæ naris,